

## 101.

*Bischof Dietrich von Merseburg stiftet einen Vergleich zwischen dem Pleban C. in Pissen und dem Grafen Dietrich von Groitzsch, dem Vogt dieser Kirche. — Zeuge: Graf Dietrich. 1206 Dez. 9.*

5 *Hdschr.: Or. Perg. Hauptstaatsarchiv Dresden No. 154. S. des Grafen Dietrich von Groitzsch, mit Pergamentstreifen hinten befestigt, jetzt abgefallen = Tafel IX. 5.*

*Ann.: Merseburger Hand. Vergl. Posse, Lehre von den Privaturk. S. 22.*

:In nomine sancte et individue trinitatis.: Th[ecodericus] dei gratia sancte Merseburgensis ecclesie episcopus omnibus Christi fidelibus salutem perpetuam. Quoniam superveniente dierum longitudine, quecunque geruntur, ab humana labi solent memoria, 10 expedit ea, de quorum oblivione oriri posset confusio, lit[er]is eternare. Proinde sciant presentes et noscant posteri, quod C. plebanus de Piscene in ecclesia Ranstede divina celebrans de titulo possessionis requisitus predictam ecclesiam Ranstede videlicet ecclesie sue in Piscene filiali obligatione obligatam constanter astruxit et ob id a domino Th. comite de Grovuz, eiusdem ecclesie advocato, qui ipsam omni ancillari obligatione 15 immunem fideliter asseruit, est eiectus et alius substitutus. Verum querimoniis ipsius crebrescentibus et prevalentibus divina in pretaxata ecclesia canonica censura sunt suspensa, que suspensio<sup>a)</sup> pene ad expletionem perduravit quinquennii, ita ut infirmis spiritualis subtraheretur cura et defunctis ecclesiastica denegaretur sepultura. Nos igitur ovicularum nostrarum conturbationem perspicientes idem negocium fine canonico decidere 20 cupientes partes discordes Merseburg convocabimus, ubi adeo in ipso negocio processimus, ut sententia dictante utriusque partis requireretur probatio. Cum vero probationes sine periculo et suspitione nullatenus fieri posse intelligeremus, consilio freti discretorum personam nostram interposuimus et ad compositionem fideliter elaboravimus. Unde dominum T. comitem, ut pro libertate ecclesie sue tres marcas<sup>b)</sup> exhiberet, commonuimus, 25 sacerdotem vero, ut pro pacifica possessione duas porrigeret, induximus. Quas vero marcas ecclesie in Piscene pro dampno, quod pro abstractione predictae ecclesie sustinere videbatur, contulimus in restaurum. Comes vero ecclesiam predicto sacerdoti pro libera contulit, ita ut mansionarius in ea divina celebraret et post ipsum comitem et eius successores ipsam<sup>c)</sup> libere cuique conferrent. Igitur ne hoc factum quisquam infringere 30 presumat, presentem paginam, que huius facti in eternum certum maneat indicium, conscripsimus et sigilli nostri impressione munivimus. Placuit etiam nobis huius facti testes ydoneos assignare, hos scilicet: ipsum comitem, cuius sigillo presens pagina roboratur, B. prepositum Merseburgensem, T. decanum, H. archidiaconum, H. camerarium et omnes ipsorum concanonicos, G. burchgravium de Lieenich, H. burchgravium de Donin, H. de 35 Flogelberch, H. de Warin et eorum commilitones. Hec autem acta sunt anno dominice

pen  
101. a) sussio Or. b) tres marcas *übergeschrieben*. c) ipsam *übergeschrieben*.